



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Germanus Paris. Ep. 28. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

340 VITÆ SANCTORUM. 28. Maii.  
custodes, & adeò carnifices miraculis  
captos eâdem viâ nuper iam præmisisset.  
*Ex Ferrar.*

*Non est injustus Deus, ut obliviscatur o-  
peris boni: vivit apud eum memoria benefi-  
cii semel accepti. Beatus, apud quem Deus  
vel semel requiem invenerit; in cuius taber-  
naculo vel horâ unâ requieverit. Guerric.  
serm. 3. de Ass. B. M. V.*

S. GERMANUS PARIS. EP.  
28. Maii.

**G**ERMANO mors nondum nato, ab  
ipsâ, quod obomineris, matre; na-  
to ab a viâ propinata est; nihilominus  
inter domestica latrocinia adolevit, ve-  
neno priore maternis visceribus, sino no-  
xâ foetus, diffuso, altero ad aviæ filium  
delato, æquissimo sine dubio errore,  
ut, cui Germani hæreditas quærebatur,  
idem paratam innocentia pestem biberet.  
**G**ERMANUM contrâ Parisiensis mitra  
expectabat, & in omnes morbos jus,  
benevolentia Numinis maleficia mortali-  
um in ejus gloriam vertente. Saliva e-  
jus vestium lacinia, stramen, quod in  
cubitu pressisset, vim medicam habue-  
re. Hæc alexipharmacâ etiam Reges am-  
biebant. Clotharius, quod virum san-  
ctum parum civili pro foribus morâ fa-  
tigasset, injuriam febri luit, quâ inode-  
stior factus, postridie S. viri palliolum  
ol-

29. Maii. VITÆ SANCTORUM. 341  
oculis trivit, eoque intestinum ignem  
extinxit. Unicam literulam chirographi  
ejus delinxisse, monacho biennium æ-  
gro saluti fuit. Fugientem animam illu-  
stris femina filo de viri ueste rapto retrax-  
it. Alteri jam exanimi cum frigidâ vi-  
tam infudit. Unicâ voce flamas sopi-  
vit, Crucis signo compedes solvit, po-  
pulatores agrotum ursos extinxit, totas  
dæmonum catervas fugavit. Et tamen  
hic morborum, & ipsius adeò mortis  
triumphator, obitus sui diem non ani-  
mo modò, sed oculis etiam ingerere non  
destitut; hoc ad lecti spondam epigram-  
mate affixo, V. KAL. JUNIAS: id  
quò spectaret non ante intellectum est,  
quam eodem die octogenario proximus  
decederet. Tu, si sapis, ne incerta hora  
te mortis fallat.

*Omnem crede diem tibi illuxisse supremum.*

*Ex Surio.*

*Homo lenocinantem mundi gloriam sub  
judicii sui calcibus deprimat, virorem car-  
nis aridum jam pulverem credat, diem  
suæ vocationis tanquam speculum suis ob-  
tutibus semper anteponat; dictum ulti-  
mae discussionis judicium contremiscat.  
S. Pet. Dam. l. i. ep. 17.*

Y 3

S. CO-